

Quid quod nostri quodque *catechismi* id docent? Fere totum christianarum virtutum systema Decalogo comprehensum est: Decalogum autem legem esse naturæ Cathéchismus Romanus tradit, everſaque Moſaica œconomia, nos non ut Moſaicam ſanctiorem obligare, ſed ut naturalem. At ſi naturæ lex eſt, naturæ ratione cognoſci debet, ne pugnantia & ridicula loquamur.

Quid ergo, inquit aliquis? ecquæ erunt hac in re gratiæ partes? multiſſimæ ac præcipuæ. Huiusmodi virtutes ratio demonſtrat, humanæque felicitati eſſe neceſſarias dictat: eas homines & cognovere, ac ſemper quidem, & ubique: ſed tamen (dicam compendio, ideſt Scholæ formulis) *non ut oportet*. Quid, ais, iſtuc *non ut oportet*? Principio non plene perfecteque agnoverunt; id quod hominum hiſtoria docet, ſæpeque eſt a nobis animadverſum. Tum non omnes eo deſtinaverunt, quo illæ ſuapte natura tendunt: nam de *ſine ultimo* perabſurdas habuere opiniones. Ac ii, qui eo deſtinatæ videntur, mille commentis depravaverunt. Poſtremo tota vita depravati aut privati ſuæ utilitati ſacraverunt, quo nullus eſt uberior vitiorum ſons, aut cum infinita deorum ſuperſtitione ſœdarunt, aut ſi Dei metu ac reverentia coluere, cum ea pietate ſexcentas neſcio quas pravitates admixuerunt, ut ſæpe ſolum virtutis nomen reliquerint. Itaque virtutes ut rite reſteque, eaque animi ſanctitate agnoſcamus, colamurque, qua cum Deo agere oportet, non a natura, neque a ratione haberi poſſe chriſtiana docet religio, ſed a Dei ipſius miſericordia atque gratia. Hoc igitur ſenſu me intelleftum iri volo: nam in eam ſententiam ipſe me ſæpe explicaveram.

Superest ut injectos ab illa appendice ſcrupulos evelam. Itaque paucis ego dicam, quid longo illo ſermone efficere voluerim. Liberi ne ſumus, necne? Ea de re agebatur. Crederes fuiſſe olim, hodieque eſſe homines adeo ſibi ipſos ignotos, ut ſe liberi arbitrii facultate pollere, aut ignorarent, aut pernegarent? Sed nulla eſt tam ſtulta ſententia, qua ſibi interdum homines perplacere nequeant. Equidem ego quum cogito, tam me liberi eſſe arbitrii ignorare poſſe ſentio, quam

quam me eſſe: neque enim eſt hoc illo maniſteſtius; nam utrumque immediato conſcientiæ ſenſu pernoſco. Si prima in re decipior, cur non deciperer in altera? Sum, quia me eſſe perſentiſco: liber ſum, quia continenter libertate me uti conſcius ſum. Hæc tu mihi incerta facere moliris? operam abuteris. Adeo enim me ſtultum eſſe exiſtimas, ut dictis ego tuis potius, quam naturæ credam meæ? Id ſi ſapis, totus deſipis. Hoc potius ego tibi præcipio, ut intelligas, quotieſcumque ſermo a natura diſcrepat, aut convictum eſſe mendacium, aut ſine ulla mente oris ſtrepitum. Hoc tu crebro reminiſcere, niſi ſi inſanire ames.

Certa hæc ſunt. At enim externæ nos cauſæ concutiunt. Qui ſystematis mundani partes ſumus, a totius ne legibus immunes erimus? Quasi quiſquam ſit, qui ita nos in hac tellure inſitos eſſe putet, ut nec calore, nec frigore, nec ſono, nec odore, nec ulla poſtremo re, qua circumdamur, tangi poſſimus: quaſi terra, alimenta, climata nihil noſtris conferant ingenii. Tangamur ergo: cum cæli natura temperamenta conſentiant. Quid iſtuc ad eam, de qua agimus, quaſtionem? Non enim quaerimus, aut qui natura ſimus, aut unde concitemur: ſed hoc potius, eas poſtquam ſenſationes, irritationes, voluptates, vel dolores in nobis excitari ſenſerimus, uti ne iis pro noſtro arbitrio poſſimus, necne? Ac prout lubitum fuerit iis nos uti, ipſe mihi ſum teſtis. Quid attinet convicta rebus verbis elevare? Neminem me audire certum eſt, cujus lingua cum natura depugnat. Satis id dictum.

Ecce autem: qui tantas motiones pro imperio moderari poſſimus? Quia nempe vim in nos ac efficaciam infinitam non habent. Quid friguttis? Nam ſi haberent, non obſiſteremus. Sed eſto: ignoremus hoc *quomodo*: ignorabimus etiam nos obſiſtere, moderari, liberere, ac videntes prudentes obſecundare? Liceat igitur, ſi ita vis (me enim ſcire fateor) ignorare *pro quomodo*, quod mortales depereunt, quoque ſæpe pereunt. Mene ut ea, pluſquam uſus eſt, ſollicitent? O hic illud præclarum, *μη μαλλον!* Tanta, inquiunt, naturæ moles nos non rapiet? Non: nam ſi moles, in animam

mam non aget, qui moles non est. Si bona aut mala, qua sola ratione in animos agere potest, rationi, consilio, electivæ facultati subditur. Ea est mentium natura. Aut igitur rupes evadas necesse est (nam hæc est *μωρα*), aut si mens sis, fataliter (vide quam audeo) liber es: nullæ te moles efficient unquam, liber ne sis. O te miserum! ah ah perterrefeci: scio. Veneris videlicet ut sis liber. Tanta te intemperix agitant?

Sed euge: animos resume. Liber ut sim, inquis, a coactione, qui esse possum a natura? Sunt enim ipse se confatalia, *boni vel mali perceptio*, *appetitus*, *electio*. Non potuisti paucioribus verbis plures *αμοιβας* (*incogitantias*) effutire; nam quo ego alio verbo dicam? Adeo tibi es impervius? Quin tu illud, nosce te ipsum? Primum hoc tibi edico, nos plures nostras cogitationes quasi rimari, expiscari, proque libertate aut gignere, aut adsciscere. Studia id te disciplinarum factis docere possunt: tum si tu aliquando comminisci aliquid, atque tecum mundos effingere soles. Nisi si putas quas Homerus, ac reliqui poetæ fabellas cecinere, insertas ab Apolline animis fuisse. Tum eadem opera nobis appetitus plurimos aut creare, aut accendere. Nam quum Chremes tumido delitigat ore, non tu sentis, ea cum conciperet, animum Terentio intumuisse? Ita amamus, timemus, irascimur sæpe nobiscum ludentes. In his omnibus unus est artifex, liberum animi arbitrium: eo hæc omnia facimus, rescimusque.

Jam quum extrinsecus animo cogitationes advenere, sequuntur enimvero appetitus. *Confatalia sunt hæc*, quando ita loqui amas. Quid tum? Aut præripiunt animi consultationem electionemque ii appetitus, aut ei subjecti sunt, parentque. Quum illud evenit, stulti sumus: nulla tum arbitrii potestas: elisa enim ratione nemo liber est. Sed si quis nullum esse nisi ejusmodi in se appetitum clamet, nã is bruta animans est. Ejus me angit misericordia. Cum hac animante se de libero arbitrio disputare negat fas esse Origenes (a).

Ego

(a) *περὶ ἀρχῶν Lib. III.*

Ego te in hunc censum ut referam? Nolo tecum illata injuriæ, omniumque gravissimæ, agere. Tute igitur videbis quis esse velis. Commovi scilicet. Bono animo esto. Si ergo rationi tot subsunt appetitus, videsis, ne tecum pugnes, qui de sublata libertate illos reos facis. Quid verbis opus est? Te ipsum concute. Ego mihi certus sum, me ita posse meos moderari appetitus, ut si sapiam, aut vix unquam, aut raro capiar. Hoc facti est: ejus mihi conscius sum. Ecquam alteram efflagitarem demonstrationem? Adversus certa facta, quorumque quisque sibi testis est intimitus, argumenta omnia futiles, atque captiosæ sunt argutationes.

Sed illud te turbat, quæ moderer. O molestum *πας*! Non tu dum dabis, scire nos quidpiam posse, quin *τὸ quomodo* pernoscamus? Sed hoc *πας* me quoque scire arbitror. Nempe hujusmodi appetitionum in animum efficacia, vis, potestas infinita non est. Unde sciam rogas? Si esset, non moderarer. At nunc tam certum est me moderari, qua certum, me cogitare, me sentire, me vivere, me esse denique. An hæc tu mihi incerta facere paras?

Ehodum, inquis. Tu ne hæc vi tua moderari ais? Vide ne sis intestabilis: nam ista Dei ope perficis: non ergo arbitrio. Bona verba quæso. Me hæc compescere ipse mihi testis sum: tute tibi. Nunquid aliter? Ita sane. Quæso, nunc ediffere, ego tuque unde sciamus, hæc nos Dei gratia posse? Nam certe scimus aliunde. Christiana, inquis, id docet doctrina. Egregie. Hoc ego quoque præcipio. At quæ ego tuque ignorare possumus, eadem christiana doctrina doceri, nullam arbitrio nostro Dei gratia vim inferri? Philosophiæ christianæ dogma est, nobis ad hæc perficienda Dei gratiam esse necessariam: sed par dogma, sub Dei gratia liberi esse homines arbitrii. Utrumvis inficiaberis, Christianus non eris. Teneris igitur. Et gratia Dei id efficimus, & libero arbitrio. Non tu aërem verberas? Nisi si tu opinaris esse alterum altero magis christianum.

Viam & rationem, qua id fit, quæro, inquis: quæro.

ro quomodo : hanc harmoniam duarum istiusmodi virium pervidere aveo . Quomodo igitur ? Oh impudentia ! Hoccine est humanum factum aut inceptum ? Hoccine est officium mortalium ? Enecasti . Tu ad singula $\pi\omega\varsigma$ (quomodo) ? Illud ego tibi edicam Tullii : negatum natura quatenus . Hæc velim tecum cogites . Nulla in vita pulchriora , neque amabiliora , quam hæc sunt tria , *intelligentia* , *visio* , *lumen* : nulla nobis perpetuo viciniore intimioraque . Intelligimus ne nos quidquam ? Videmus ? lumen est aliquod , quo læti sumus ? Interim hæc tu mihi edisseras , oro : $\pi\omega\varsigma$ intelligimus ? $\pi\omega\varsigma$ videmus ? $\pi\omega\varsigma$ res ostendit lumen ? Quæ ejus natura ? Tu mihi magnus eris Apollo . Tum ego tibi istuc $\pi\omega\varsigma$ præpotentis Dei expedire conabor . Interim dum philosopharis , vale .

ANTONIUS GENUENSIS

Philosopho suo

S. P. (a)

Prodit altera Metaphysicæ pars parentis sui titubanti animo , corde , & pectore , post varios hominumque urbisque labores . Neque enim ignoras , quæ prior fata habuerit ,

Quæ causa indigna serenos
 Fœdarit vultus , aut cur hæc vulnera cernas .
 Saltem ex Apologia , quam Appendicem perscripsere , discere in promptu est . Nam ubi ego (ita me Deus adjuvet) in id omnes intenderam nervos , ut nefarios homines ratione adversus religionem abutentes pro virili refellerem , non desuere , qui aut arma impiis suppeditare , aut publicam causam prodere , nec clanculum , sed publice clamitarent . Non ego quidem eram ignarus , multos studiose mihi contradicturos , quod nullo modo vitare potui , nisi si nihil omnino scriberem , maxime cum sint , ut in Civili , ita in Litteraria Republica , quidam fruges consumere nati , capite censi , qui quum nihil ipsi peperere unquam , aut parere possint , in alienis operibus profcindendis ineptissime sunt eloquentes : alii vero , qui quantum proficimus , gloriæ suæ dentum arbitrantur . Quos utrosque jure potuissem contemnere , qui honorum hominum , nec omnino stupidorum , judicia revereri soleam . Sed in eo falsus sum animi , quod ubi humanitus errorum philosophandi reprehendi expectabam , quos ergo reprehensores optabam , quibusque magnas agerem gratias , majores haberem ; ecce autem criminationes , ingesteque sine ulla non dicam christiana caritate , sed ne humanitate

(a) Quum hæc , quæ fuit olim secunda pars disciplinarum metaphysicarum , nunc sit tertia , absurde hic collocata præfens epistola videri potest . Sed ne qua re lectorem fraudarem , edendam curavi , hisque binis verbis eum monere .

vare quidem, calumnia, quæ tanto fuere acerbiores, quanto in hominem paratum flammis devovere, si quid minus recte scripserit, petulantiores, quod ego viro summo Josepho Spinelli Neapolitana hujus Ecclesiæ Archiepiscopo contestatus eram. Neque enim is ego sum, qui plerique alii omnes, qui descriptionem mearum eo teneor amore, ut etiam contra jus & fas defendere ausim. Quum in publicum eas emisi, velut alienas specto, paratus in me facere, quod crudeliores ipsi nominis mei inimici vix audeant, ignoscere nempe aliis multa, mihi nihil, modo ne veritati officiamus; tantum abest ut justas reprehensiones, & admonitiones adsperner. Nam etsi nemo sit, qui non intelligat, quanta sit humana mentis brevitatis, quanta imbecillitas, quamque facile errare in plurimis; at, confidenter dicam, pauci sunt, qui sibi & sapientiæ suæ minus confidant, quique sapientum judicia magis reverentur & venerentur, quam ego sim. Et his quidem ex animo ignosci & christiane legis memor, & quod ita natura sim comparatus, ut nec graves iras sentire, nec diuturnas gerere valeam, nihilque magis homine indignum putem, quam illud, quod profanus homo non dubitavit diis tribuere, manet alta mente repositum. Quid est enim aliud homo homini lupus? Alia certe esse hominis debet vita: nam & qui fratres sumus ex eodem nati stipite, & qui socialem vitam sub eodem Imperatore Deo agimus, & qui eodem jure tenemur, quique nos Dei & Christi imitatores profiteamur, non diligere tantum nos mutuo, sed & amare oportet. Ecquid? non pudet nos barba tantum & pallio esse philosophos? Sed, utcumque hæc astimata sint, ut nunc non in magno possumoveat eorum pertinacia, qui quum alia, tum illud continenter jactant, me, ratione & via, qua philosophos, scepticismo suppetias ferre, & quin, ut dixi, titubanti animo & pectore hanc alteram Metaphysicam partem emitam. Nam quamvis studuerim quidem accurate rationis humana dignitatem, sed intra suos cancellos, tueri, remotissimasque ipsas suspiciones, quoad potui, effugere curaverim; acutiores tamen sunt multo, quam ut ego evadere possim, hujus ævi Aristarchi. Quamquam quis se-

rat

rat accusari hominem scepticismi, qui mathematicum in morem cogitationes suas disponat, & qui exactas etiam in abditissimis rebus demonstrationes producere conetur? nisi forte qui nesciat, quos ego, si lectionis ullius patientes esse possunt, ad Sextum Empiricum amando. Ac ignorare quid istuc sibi vocabulum Scepticismus velit, non sine ratione & causa dico. Nam rogatus quidam eorum, qui nunquam suo judicio uti didicerunt, quique rationi nunquam sacrificare, sed aut ex incertis vulgi polluti rumoribus præjudicant, aut ex cassis phantasiæ imaginibus, ecquid precipue in Metaphysica mea reprehenderet, Scepticismum, inquit. Cur ita? nempe, inquit, quia parum a Jansenismo distat. Oh præclare!

Spectatura admitti risum teneatis amici?

Jam quis eum Pyrrhonismi insimulet, qui ingenue fateatur, se ea ignorare, quæ genus omne humanum ignorat? Nisi si quis nihil clam esse hominibus oportere, nec divinarum, nec humanarum rerum, arbitretur: aut tum perpulchre cum hominibus agi, quum sciveris noveris, te scire fateris, nihil omnino reputans, nihil esse tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit & cognitum, sine ulla dubitatione defendere. Quamquam id tantum abest, ut Scepticismi vires dilatet; ut nihil potius sit, quod Scepticismum funditus evertat, quam accurate distinguere inter ea quæ homines plane norunt, & ea quæ ignorant. Nam qui etiam ea, quæ ignorantur, deridiculis argumentis hominibus persuadere student, etiam ea, quæ sciuntur, in suspicionem adducunt hominum, qui nec trunci sunt, nec satis docti, quorum est magna Reipublicæ litterarum pars. Itaque ego ita sum animo constitutus, ut quæ certe scio, quæ ego esse arbitror omnia, quæ ad pietatem & vitam pertinent, suntque necessaria, nullo modo, nec voce, nec scriptione prodere valeam; quæ ignoro, nequeam non pro ignotis profiteri, atque in iis sapientum hominum sententiam, & doctrinam expectare, paratus rationi, & quibuscumque ea tandem proficiatur, parere, idque adeo leto animo, ut nihil mihi unquam præclarior esse

de-

duxerim, quam ab erroribus (quos ego haud dubium erro plurimos) & ignorantia mentem in sapientiam & libertatem vindicare. Non ego quaesiverim unquam, quomodo sint alii animo affecti : abdomini jecinorique suo vivant, si ita placet, quando nihil veritatis cupedia mortantur : ego sic institutus sum, ut nulla alia bona mentis perfectioni, & tranquillitati nedum preponere ausim, sed ne conferre quidem. Quocirca quanquam certum mihi est, me undique inclementer impeti; praedixisse tamen mihi erit satis. Emergent proculdubio, qui crimini vertant, protulisse me argumenta Epicureorum & Socinianorum adversus animi naturam : Spinoza & Collini adversus libertatem. Quibus si reponam, me communem sanctissimorum quoque Patrum scribendi rationem sectatum : argumenta quidem produxisse impiorum hominum, sed confutasse, idque esse peropus ei, qui his de rebus differit, quum desensio duobus contineatur, demonstratione, ac refutatione : ii statim regerunt, nec veteres Ecclesiae Doctores (quis tantam stultitiam crederet ?) Spinozam & Collinum aggressuros fuisse, quippe quos vel nominare nefas : & fortasse me non idem animo sentire, quod scribo. Egregie prorsus ! Quasi Spinoza & Collini non quotvis seculo exstiterint, postquam scimus exstisse & Aristotelem, & Zenonem, & Epicurum, & Diagoram, & horum sectarios, atque admiratores ! nam certe quos Origenes, Eusebius, Lactantius, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, Beatus Thomas in opere adversus Gentiles consutandos aggrediuntur, quorumque ad vicum reserant objectiones, plura quoque & majora commenti sunt adversus Christianam Religionem. Conflictarunt cum veteribus illi, conficiendum nobis est cum recentibus Religionis hostibus, non aut umbras impetere, quod majorem nostrorum theologorum partem efficeret video, aut in otio, dum illi clamant, tabescere. Ac vero ego quoque censeo, stultum esse parare arma, urgere agmina, in aciem prodire, ubi nullus imminet hostis : sed incuriosum sedere, aut cum veterum somniis confingere, ubi hostes non fines modo invasere, sed integras provincias ferro ac flammis populantur, est Rempublicam prodere. Quod vero suspicantur, me aliud scribere, aliud

aliud sentire, id licet non sit in litteraria Republica novum, atrocius tamen est, quam ut verbis curari possit. Quid reponam, nisi praeripere eos, quod Dei proprium est, in hominum corda iudicium ? Quid quod hoc bellandi genus reciprocum esse potest ? Nam quis vetat, & me de iis credere, quae illi de me improbe suspicantur ? Ac passim facilius, si non quod docent, sed quod agunt, perpendere velim. Sed alia lege utor. Eos interea meminisse velim Apostolici verbi, nolite iudicare ante tempus. Nam ad me quod attinet, sic animum jamdudum formavi, ut supremis potestatibus, quandoquidem earum jus mihi ratio est, sine ulla ratione paream ; Philosophis vero quantum eorum meruerint rationes. Quod si etiam sine ulla ratione me dimovere ab iis, quae veriora puto, gestiunt, eos si contemnam, nemo sapiens erit, qui me jure meo non uti dicere possit. Sed ea satis ; nam copiosius prosequi animi videri potest minus, quam ego sim, pacati.

Sunt autem quadam, quorum tibi nunc, philosophae, & humanissime Lector, rationem reddere debeo, quod subaudiverim te mussitantem. Primum, quae tantae tenuere morae ? Rogas ? Destinaveram nihil amplius, si per amicos licuisset, edere : nam quantumvis nihil mihi conscius essem, cur in publicum prodire non possem, at haerebat animo grave illud Apostoli verbum, non comedam carnes in aeternum, si frater meus offendatur. Sed propositum pervicere amici. Nam & Venetiis, & Roma viri quidam docti juxta & humanissimi ita impulerunt, ut mihi persuaderem, non esse admodum paucorum iudicia extimescenda, eorum maxime, qui assuetudine maledicendi intestabiles evaserunt : & scrupulos omnes heic viri ex omni ordine litteratissimi exemerunt. Ita ruptae mora. Deinde gravissimo per hos annos pectoris morbo laboravi, ut vix necessariis curis intendere possem animum. Nam ego non ita philosophiam colendam esse censeo, ut etiam vita periclitetur : ne si vellem quidem id juris in me habeo : vetat fumus ille imperator Deus, se invito e statione discedere. Tum quanquam super his rebus scripseram plurima, at indigesta ea erat moles, ut mihi fuerit necesse ex integro rem omnem repetere : in quam

rem quam non quantum voluerim, sed quantum poterim incumberem, effluxit tempus. Nec tamen his causis quidquam iudicio tuo prævertere velim: tu si inertia tribuere ames, non repugnabo.

Jam rogas, quum duas tantum Metaphysicæ partes promiserim, cur tertiam nunc adjiciam? Nempe, quum secundam hanc perlegeris, tute ipse intelliges, non potuisse me uno volumine in octavo, ut vocant, tantam rerum molem complecti, nisi omnia corrumpere, aut Herculis cothurnos infanti vellem adaptare. Quæ super natura Dei & Religionis commentatus sum, aut ex veterum recentiorumque philosophorum lectione suppetunt, ea, nisi hallucinor, præstantiora sunt, quam quæ a me hucusque sunt pertractata. Malui ergo promissis, quam ei negotio detrudere, quod

Æque pauperibus prodest, locupletibus æque,

Æque neglectum pueris, senibusque nocebit.

Prius tibi promiseram: posterius conscientie debeo & Deo. Te autem faciliorem habeo & humaniorem iudicem in priori illa causa, quam aut memetipsum, aut vindicem Dei oculum in altera. Quod tu facies profecto, nisi fastidiosus & delicatulus velis haberi philosophus, aut inter Ephemeridum (quod nunc hominum genus copiosius est) litteratos censeris.

Sed utcumque in eo te accipiam, inquis, at id non fero, quod nimis oles in hac parte e schola: Arabes conradis: lutulentos nescio quos consecraris rivulos. Satis dum fuerit tibi id laboris non parvi,

Responsura tuo nunquam est fama labori.

Talis nempe nunc est conditio philosophandi! Ne tu declamator egregius! Maeste. Ausculta interea, & tene. Mentium humanarum ab Adamo vigor seculis omnibus idem fuit: curarum objecta non eadem, nec eadem disciplina. Fuere qui quondam totum eum vigorem individuum poësi, aut oratorie applicuerunt, in quo quum essent unice intenti, fuere præcellentes. Alii mathematicis, ceterosque post se reliquerunt. In iis seculis, qui barbariei nomine appellantur, cura unica fuere res Metaphysicæ, sæpe chymericæ, sed fuere tamen. Concedam ego aliis litterarum nitorem & cultum: sed philosophorum, quos

quos barbaros vocamus, Arabum, quique inde hausere, propria est Metaphysica. Terrent, fateor, inconstis vultus & hispidus, inanes sæpe conatus, volatiles extra universum phantasia, frequentia Arabum deliria, acres nonnunquam de somniis pugna: neque idcirco te monuerim, ut accedas: sed si qui sunt, qui tibi eos exantillare labores non sunt gravati, qui & ejus ævi philosophiam tibi paucis eleganterque exhibeant, & ex stercore, ut inquis, aurum colligant, tu ne etiam graveris accipere, nec potius grati animi testimonium prebeas? Optandum esset potius, ut viri in utraque litteratura versatissimi, in hoc Dictionariorum seculo, Dictionarium nobis darent eorum omnium, quæ in Arabum ac Scholasticorum libris jacent nunc contenta: nam & sunt in iis egregia plurima, & si non semper docent, at acuiunt; & historica omnium ætatum philosophia magna est vel cultissime eruditionis pars, nisi si velimus adeo esse inepti, ut nostra interesse arbitremur, quæ vetusti Scythæ, Chaldei, Ægyptii, Persæ, Græci cogitaverint in cœnosis fabulosisque veterum traditionibus, maxima animi capitisque labore exquirere, habereque in numerato; partem vero hanc maximam, & cum rebus nostris plurimis artissime connexam, negligere. Quod opus, nisi præsentis docti aggrediantur, apud posteros magis quoque rerum illarum incuriosos, utpote in tanto bonarum litterarum apparatu natos, tam tenuis funditus ea philosophicæ historie pars intercidat: nam quæ sunt ab Historicis philosophicæ collecta, nimis sunt illa jejuna, & pauca. Utinam Bernardus Lamy, quam susceperat, ad umbilicum duxisset Scholasticæ Theologie historiam! Fortassis plurimorum votis fecisset satis. Quid, quod ego robore, & sublimitate cogitandi primipilis illis schola philosophis recentiore pene neminem anteposuerim? Sic enim habe, mihi videri illos viros, horum magnam partem feminas. Scilicet quemadmodum veteres homines quanto moribus & vestibus impoliti atque hispidosi, tanto magis animi corporisque robore præ cinedis istis Penelopes sponsis valebant; ita veteres illi philosophi quanto incultiores, & rudiores aspectu, tanto fuere meditatione, & cura profundiores

ac ratiocinio pollentiores . Uno verbo : quo sine manu ,
sineque libris iri a mente humana potest , iure profecto
veteres illi Metaphysici .

Nunquid aliud ? Indicem , inquis , rerum postulo .
Scio . Capitum indicem tu igitur in ultima pagina quaere :
copiosiore expecta . Bono sis animo . Interea lege ,
libereque , sed amice judica , ut soles : nam

Nunc ego te experiar quid ames , quid simules .
Vale .



ELEMENTORUM

METAPHYSICÆ

MATHEMATICUM IN MOREM
ADORNATORUM

P A R S T E R T I A

Qua continentur principia Psychesophiæ , & Ethicæ .

P R Æ F A T I O .



Ostquam de generalibus Ontosophiæ , &
Cosmosophiæ principiis in priori Meta-
physicæ parte differuimus , tum de Deo
ac Religione in altera ; superest , quo
integra Metaphysicarum disciplinarum de-
mus Elementa , ut de Mente Anima-
que humana pertractemus (a) .

B 3

Tra-

(a) Hanc rerum metaphysicarum partem Pneumatologiam scholæ
dixere , latius , ut patet , vocabulum angustissime capientes . Est
vero Pneumatologia ea disciplina , quæ de spiritibus πνεύματων
πνεύματος , agit . At πνεύματα , seu spiritus , Christianis Philosophis
dicuntur , Animæ humanæ , Angeli , Deus : nam de brutorum a-
nimabus anceps disceptatio est . Spiritus nomine appellantur , non
tam